

per alium aggressus quod per te ipsum non poteras præstare, suastisti Georgio astronomo Cæsaris, qui tunc Viennæ erat præceptor meo, uiro & moribus & integritate uitæ, ita omni studiorum generi primario, in mathematicis uerò supra omnes nostræ ætatis homines erudito, ut Ptolemæi, de quo loquimur, libri, quem ille quasi ad literam memoriæ tenebat, breuiorem lucidioremque facere conaretur. Quod ille mox orsus, incredibile dictu est, quàm clariores reddidit sententias, diuidens eas geometrarum more, ut & apertius intelligerentur, & facilius commendarentur memoriæ, & tenacius hererent. Sed uix absolutis sex libris, quasi in medio cursu heu memoriã quoque eius rei lugubrẽ atque acerbam, immatura morte nobis indignissimè rapitur. Verum paulo ante quàm è uita discederet, cum in manibus & gremio moribundum tenerem, Vale, inquit, mi Iohannes uale, Et si quid apud te pij præceptoris memoria poterit, opus Ptolemæi quod ego imperfectum relinquo absolue, hoc tibi ex testamento lego, ut etiam uita defunctus, partis tamen mei meliore superstite Bessarionis nostri optimi ac dignissimi principis desiderio satisfaciam. Grande profecto opus, & meis impar uiribus moriens præceptor humeris nostris imposuit, & quod subire temerarij foret, recusare uerò ingrati ac penè sacrilegi. Sed fluctuanti mihi tu prestantissime pater Bessarion confirmasti animum, & ut tantum opus prosequerer, tuo numine compulisti. Absolui igitur opus à præceptore inceptum, idque tuo sacratissimo nomine compulisti. Absolui igitur opus à præceptore inceptum, idque tuo sacratissimo nomini dedicauit, ut inter cæteros bibliothecæ tuæ libros colles atque custodias. Ad quem enim digniorem uel principem uel patronum bonarum artium monimenta confugiant quàm ad te, qui es doctrina & omni uirtutum genere prestantissimus. Ita optimos quosque codices diligentissimè indagaris, summo studio comparas atque custodis, ut nemo sit meo iudicio hodie te locupletior in hoc præclarissimo genere suppellectilis. Quo fit, ut diuino quodam consilio factum censeam, ut in communi Græciæ prouinciæ tu Romæ feliciter uixeris, quo naufragantes græcorum librorum reliquias, & mox peritura tot doctissimorum uirorum uolumina conseruares. Notum omnibus est, quantum studij ac diligentie in ea re posueris, quos labores, quos sumptus sustuleris, nihil pernicio-